

ARTICULUS IV.

Unde oriatur certitudo scientie Divina de futuris absolutis?

NO T A N D U M primò non esse apud Theologos dubium, quin habeat Deus, non qualemcumque titubantem ac fluctuantem, sed immobilem ac certissimam scientiam de futuris omnibus absolutis; id est, & necessariò futuris, & liberè, seu contingenter futuris; ita, quòd ista à quæ certò sciat ac illa. Et ratio propter quam de re ista nullatenus dubitatur, hæc est; quia cùm providentia in præscientia radicetur, si Deus minus certò præsciret futura libera, quām necessaria, minus certò causis liberis, quām necessariis provideret: atque hac in parte deesset Deo pars melior providentia, quam ut sollicitiorem erga causas liberas, ita tuitiorem esse neccesse fore, si quid in providentia Divina magis & minus tutum posset competriri. Sed tum ulterius eunt Theologi, dum inquirunt, unde Divina de futuris illis præscientia suam certitudinem fortiantur. Verùm id inquirunt, facile consentientes circa caput, unde oriatur certitudo præscientiae futuris necessariis, sed omnino dissentientes circa caput alterum, unde possit per certitudo præscientiae circa futura contingentia derivari.

Itaque ubi de futuris necessariis agitur, convenit illa certò præsciri, & capropter certò præsciri, quia prædefinitus fuit à Deo totus illorum eventus, pro quo complendo ordinata fuit à causarum naturalium series, juxta quam ac per quam necesse est ut hanc quæcumque hunc. Quo pacto decreta Divina, quæ determinant omnes naturales eventus, & ordinant causas ad illos necessariò perficiendos idoneas, sunt infallibilis media, in quibus novit infallibiliter Deus futura illa omnia, quæ *necessaria* vocamus: uti novit infallibiliter Deus eas esse nūgitura tonitrua, quia juxta suum ab æterno decretum de tali eventu, & capropter de causis ad talem eventum ordinandis, ita postmodum illas ordinavit ab initio temporis, ut inimpedibiliter sint conservaturæ talem effectum.

Quod cùm ita verificetur pro omni generatim eventu, planum est cognoscere infallibiliter Deum omnes hujuscemodi effectus

I.
Supponitur
certitudo
scientie Di-
vina de futu-
ris absolutis,
sed queritur
unde oria-
tur.

II.
Circa fu-
tura absoluta
ta necessa-
ria satis con-
venit inter
Theologos,

III.
At quan-
do agitur de